

C A P U T XI.

*De officiis erga alios absolutis perfectis, seu
de iustitia stricte sumta.*

CCCLXXIV. Postquam communis omnium utilitati esse seruendum, satis demonstrauimus, facile erit intellectu, multo adhuc magis omissitudinem esse aliorum laetionem. Haec enim cum a veris naturae stimulis, atque adeo a finibus Creatoris sola ratione conspicuis abhorret, tum praeterea laeso ius defensionis, violentiae, et belli, seu mala laedentibus inferendi tribuit. Quare, qui propriae salutis non est immemor, necesse habet, quod sibi fieri non vult, alteri non facere, neminem laedere, aut iniuria adipiscere, verbo abstinere ab alieno. In quo iustitia stricte sumta, ius cogens et officia perfecta continentur.

CCCLXXV. Quoniam si laedant, et iniuriam faciunt generatim, qui in suum alterius inuolant, ad suum autem cuiusvis imprimis iura aequalitatis, et libertatis a subiectione pertinent, non est obscurum, haec iura a nemine esse violanda. Itaque essent iniusti, qui durante illo naturali statu, potestatem sibi adsumere vellent in actiones alterius, quique externis factis proderent adrogantium, et ita vel praerogativam, vel praecedentiam adfectarent.

CCCLXXVI. Sed et bona animi, corporis, et status externi suum cuivis constituunt. Vnde leges illae perfectae esse intelliguntur, quae nos iubent, neminem inducere in errorem, praecipue quoad cognitionem honesti ac turpis; alterius voluntatem, et mores haud corrumpere; neve dictis, aut factis, maloue exemplo quempiam seducere; cauere ab homi idiotam doloso, quam culpozo; nullius sanitatem perdere, atque adeo ab aliorum percussione, vulneratione, mutilatione, similibusque inferendis malis abstinere; nihil denique expugnandae alienae pudicitiae causa, vi doloue attentare.

CCCLXXVII. In bonis status externi sunt res potissimum, atque existimatio: nulli igitur res suae sunt auferendae, aut existimatio, et fama quomodocunque violanda. Ex quo colligitur, vituperium, ac contemptum aliorum, et hinc dicta, vel facta, et scripta omnia, quae in eorum vergunt contumeliam, seu *injurias* strictius sumtas officiis perfectis repugnare. Etsi vero nemo maiores, quam simplicem existimationem alteri tribuere debeat, attamen, qui eum contemptu externo existimationem adquisitam alicui denegat, eum laedere adhuc est censendus. **DARIES Obj. 9. N. XXXIX. §. 9.**

CCCLXXVIII. Quemadmodum veritas iudicii de alterius imperfectione, siquidem sine iure imputandi, et in illius contumeliam proferatur, ab animo iniurandi non absolvit, ita falsa vituperia, seu *calumniae* quantitatem augent laesione; gravissiam autem eorum est calumniandi ratio, qui *vaga* vtuntur *criminatione*, ac vitia generatim, et indefinite alicui assignant. Praeterquam quod enim non nisi actio singularis, seu factum possit imputari, atque adeo huiusmodi conuicium pro falso omnino sit habendum, locus quoque contundendi vagas criminationes hacce ignominia notato vix relinquitur.

CCCLXXIX. Quoniam etiam is laedit, qui alterum impedit, ne iure suo vtatur, non modo in iura perfecta, sed etiam in imperfecta cadere laesio potest: qui enim aliquem, quo minus suas angeat perfectiones, interpellat, naturalem eius libertatem praecidit, et porro, quod alienum est, usurpat. Quare si iusti esse volumus, ne quis quodcunque ius suum exerceat, atque aliquam adquirat perfectionem, non simus impedimento, neque illorum, qui praestare aliis auxilia, aut mala ab iis auertere student, conatus remoremur.

CCCLXXX. Alterius vero commoda oppugnare, et laedere naturaliter non videtur, qui ab eo, cui interfertur, non propulsat iniuriam. Etsi enim cuilibet opem

opem ferre, et mala ab eo auertere omnium sit officium, id tamen caritatis est, non autem iustitiae, cui nisi alia superaddita sint vincula, iam satisfaciunt, qui abstinent ab alieno. Suum nimirum cuique in agendo iudicium relinquere oportet, ne secus ad id, quod eins excedit vires, praestandum, aliquem cogamus. Atque propter hanc ipsam causam, qui alterius imperfectiones sermone aliisque signo arcere poterat, si tamen id facere praetermittat, caritatem quidem violat, ast propterea actionis iniustiae auctor nequit declarari.

CCCLXXXI. Atque ex his principiis ad perdifficilem illam responderi quaestionem potest: an et ii aii quando laedant, qui officia innoxiae utilitatis potentibus refrangantur. Quod enim horum praestationem iure tantum imperfecto deberi, traditum est superiori capite, id ita intelligi debet, si nimirum officia fuerint affirmativa, quaeque in agendo et iuuandis aliis versantur: aliud vero dicendum est de officiis negatiis, quae sine ullo virium nostrarum usu, et sola omissione ac patientia implentur. cf. PUFEND. de O. H et C. I. VIII 5.

CCCLXXXII. Scilicet quisque a natura ea faciendo ius habet, quae nec diuino cultui, nec philautiae, nec socialitati repugnant: igitur si de iis officiis sit sermo, quibus absque omni documento, et nuda cessatione fungi possumus, si tamen iusto alterius conatus resistimus, eidem iure suo vtenti inferimus impedimentum; quin porro iniuriam in illum immitramus, laedamusque, non est dubitandum. GROT. de L. B. et P. II. C. II. §. II.

CCCLXXXIII. Quoniam tamen aliquando accidit, ut quae innoxia esse opinamur, alteri adferant imperfectionem, consequens est, ut non antea iniuriam sibi factam quis possit indicare, quam vbi nudae patientiae officium rogatus, illud nulla adducta probabili causa denegauit. Tunc enim primo eum, quibus suum exercenti resistit, ad id, quod sibi non nocet, et alteri

F 3 prodest,

prodest, patiendum compellere licebit DARIES. Obs.
I. N. LII.

CCCLXXXIV. Quoniam iuri stricte tali, quod nimirum cum obligatione connexum est, renuntiare, semetipsum lege soluere nemo potest, consequens est ut scientis et volentis intellectum, vel voluntatem corrumpere, eum vita, sanitate, fama, rebusque necessariis priuare, aut quomodo cunque imperfectiorem reddere adhuc iustitiae repugnet. Falluntur igitur, qui ad vulgatam regulam: *volenti non fit iniuria*, prouocant indiscriminatum. Ea enim tantum valet, si agatur de iuribus permissiuis, quibus utendi vel non utendi libertas est concessa.

CCCLXXXV. Omne malum, quod nascitur ex laesione, *damni* venit nomine; igitur ea mala, quae vel ex vsu iuris nostri, vel ex neglectu caritatis alter patitur ad damna non pertinent. Quum autem laesio vel physica tantum sit, vel moralis, ita et damnum aliud *physicum*, *fortuitum*, seu *casuale*, aliud vero *moralē*, seu *iniuria* datum nominatur: quod postremum pro reatus diuersitate in *culposum* et *dolosum* abit. Porro damnum ratione causae et modi vel *immediatum* vel *mediatum*, ratione facti et legis vero iam *commissionis*, *iam omissionis* esse potest. Hisce nonnulli damnum addunt *posituum* et *negatiuum*, quod tamen veluti *immediatum* et *mediatum* declarant.

CCCLXXXVI. Damnum *resarcire* seu reparare idem est, ac efficere, ut laesus bonis per laesionem ademitis expleatur. Ad quod quidem duo generales comparati sunt modi; quorum alterum *restitutionem*, alterum *satisfactionem* nuncupant. Nimirum restitutio est, cum illam ipsam rem singularem reddimus, quae fuit ablata; satisfactio vero, cum alia in locum eorum, quae fuerunt diminuta, veluti vicaria substituimus. Etsi enim aliquando in rebus ademitis restituendi via relinquatur; ubi tamen vitae, membra, corporis integritatis, famae, aut honoris facta est iactura, tunc sola *satisfactio* obtinere potest.

CCCLXXXVI.

CCCLXXXVII. Is *praestare damnum* dicitur, quia ad illud resarcendum est obstrictus. Quum ei, qui auctor est facti, omnia quoque huius *consectaria affiganda* sint, *damnum vero*, quod iniuria datum est, *laesionis moralis* sit effectus, facile patet, cur, qui alterum siue dolo, siue culpa laesit, etiam *damnum ferre*, et porro vires suas ad dandum laeso omnem, quae fieri potest, reparationem accomodare teneatur: *tingas vero auctorem facti iniusti ab onere reparationis esse immunem*, tunc non ad eum, qui libere agit, sed ad eum, qui necessario patitur, *consectaria actionis moralis* pertinenter, quod omnino est absurdum.

CCCLXXXVIII. Contra ex eo, quod *damnum sine iniuria datum nemini possit imputari*, sequitur, ut furiosi, mente capti, infantes, aliquae rationis usu destituti ad finendum cuique, quod suum est adeoque ad ipsam rem ablatam restituendam iure quidem cogantur, re autem pereunte, ab iis, qui nec *damni sunt auctores*, nec suum augent ex alieno, *satisfactio ex iniustitia proprie dicta nequeat postulari*. Valet enim tunc illa iuris regula: *casum siue infortunium, nisi ad alicuius libertatem referri possit, a nemine esse praestandum.*

CCCLXXXIX. Quoniam reparatio *damni ad id comparata* est, ut imperfectiones per laesionem adlatae corrigantur, determinare omnino oportet, quantam laesum, siue immediate siue mediate fecerit iacturam, ut nec plus recipiat, nec minus, sed inter ea, quae fuerunt ademta, cum iis, quae resarcienda sunt, *proprio* teneatur. Fac enim laesum plus, quam quod eidem abest, exigere *damni nomine*, non iam suum quaereret, sed alienum, et eo ipso laudentis indueret personam.

CCCXC. Si plures sint *damni auctores*, recte profita illa est distinctio, ut si *individuus* sit actus, quilibet, quantum nocuit, tantum *praestare* teneatur; cum vero actus fuerit *individuus*, nec certa pars *damni signulis*

gulis possit assignari, tunc omnibus simul sumtis, in solidum reparatio incumbat. Etsi autem uno correo damnum sarciente, ius laesi in reliquos auxiliatores eatus perimitur; enim tamen de futura securitate pro ratione malitia cuiusvis et iuxta datas alibi de quantitate imputationis regulas, sibi adhuc prospicere posse, patebit suo loco.

CCCXCI. Quemadmodum officia erga alios humanitatis, ita et officia iustitiae cum officiis erga se ipvenire in conflictum possunt: quod si acciderit, etsi aliquando lege interna, et ex caritate quis alterum sibi ipsi praeferre obligetur, nemo tamen, ut id praeslemus, nos vi externa cogendi naturaliter ius habet, quippe quod tantum a laestione ducitur, et propterea vel proprii, vel alieni commodi causa, quid alicui ex suo detrahere minime licebit. Si enim sic affecti sumus, ut propter suum quisque emolumentum spoliet, aut violer alterum, totam humani generis societatem disrumpi necesse est.

CCCXCII. Quod si autem officia incolumitatis erga se vel alterum cum officiis iustitiae ita inter se pugnarent, ut vel uni esset pereundum, vel ius alterius, salva tamen ipsius incolumitate, violandum: tunc, quoniam quisque iure gaudet connato se aliosque ab intentu liberandi, utique huius iuris exercitio poneret impedimentum, quicumque res alteri necessarias, et sibi tantum utiles post lanti recusaret; ac propterea ius, etiam cogendi tribueret. Ex quo conficitur, ut si id, quod nobis utile aut iucundum, cum eo, quod aliis necessarium est, comparetur, iacere quoque utilitatem nostram oporteat, et aliorum necessitatem valere.

CCCXCIII. Granior autem est quaestio diligendi officii, si incolumitas nostra cum alterius incolumitate configatur. Quia in specie nonnulli quamlibet esse honestam expedienda salutis rationem docuerunt. Enimvero quamdiu iura sunt aequalia, vnum altero efficacius esse nullo modo potest, atque eatus necesse est,

est, omnia in eodem statu permanere. Nulla igitur tunc subest sufficiens ratio, cur, qui remedium tenet auadendi, ab altero, qui id non tenet, illo possit spoliari: et quia quisque hocce suum remedium iure tinet, iniustum omnino esse oportet aggressorem, qui id alteri conatur eripere: sed et iura dedisse repugnativa a diuini legislatoris sapientia omnino abhorret.

CCCXCIV. Ex hisce autem manifesto conficitur, ut qui fame peritus est, panem alteri aequa necessarium iure auferre minime possit; ut nemini hominem et si consentientem occidere fas sit, ut eo in summa inopia vescatur; ut illi, qui e naufragio secus nequit enatare, alterum de scapha vel tabula, quam iure tenet, depellere minime liceat; ut denique homini mediae viae interposito, nec de illa declinare valenti, certam necem inferre, et ita facilitare fugam legi naturali perfectae aduerteretur. Et quae huius sunt generis. Ceterum conuenire aliquando caritati alterum alteri cedere, iam supra docuimus.

CAPVT XII.

De officiis circa significationem mentis.

CCCXCV. Is mentem suam declarat, qui actionem animae internam, veluti cogitationem, aut volitionem alteri notam facit. Quod quum praestari nequeat sine aliqua actione externa, quae internae signum sit, consequens est, ut, qui animi sui sensa significare, seu *logi* generatim intendit, ei signa quaedam adhibenda sint exteriora, quae actionibus internis tam illius, qui easdem significat, quam eius, cui haec significatio fit, respondeant.

CCCXCVI. Est autem mentis declaratio alia expressa, si verbis seu sonis articulatis, scriptura, vel quibuscunque aliis certis ac determinatis signis, veluti